



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus Practicus De Casibus Summo Pontifici, Episcopis, Et Praelatis Religionum Reservatis

Kiene, Johann Georg

Constantiae, 1629

8. Peccatum Incendiarij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42214**

Zelo discretionis, sine hominī  
aut statui actione iniuriosa cæ-  
ditur. Quod si Clericus vel Reli-  
giosus se ipsum occideret extra  
necessitatem, aut aliam violen-  
tiam inferret, ex qua vel pericu-  
lum vitæ, grauis morbus alia-  
que graua incommoda seque-  
rentur excommunicationem Ca-  
nonis incurreret sicut & ille,  
qui consentientem tam dirè fla-  
gris concideret, quia verè vio-  
lentiâ & iniuria naturam & Cle-  
ricalem ordinem afficeret, & po-  
tissimum si accederet libido vin-  
dictæ.

VIII. Incendiarii, si tanquam  
excommunicati fuerint denun-  
tiati. Cap. Tuâ nos. de sent. Ex-  
com: Intellige, non tantum eos  
qui sæpius incendia consueuerunt  
excitare, tanquam ex vitioso habi-  
tu, sed etiam qui vna vice scienter

D 4

& vo-

& voluntarie v. g. ex odio, vindicta incendit domū, segetes &c. non autem qui ex negligentia etiam notabiliter culpabili. *Iuxta Cap. pessimam siquidem 23. q. 98.* valdè probabile est incendiarium Ecclesiæ ipso iure excommunicatione feriri, quod sit verus spoliator & effractor, iuxta Cap. conquesti. de sent. excom. Etli *Nau. c. 27. n. 94.* asserat nullum Canonem ipso facto de incendiario Ecclesiarum censuram exprimere, cui suffragatur *Fill. t. 1. tr. 15. c. 11. n. 53.* Cæterum incendiarius ab Ordinario excommunicatus & denunciatus, seu nominatim seu generatim (id est expresso nomine indigitatus, sed modo autor huius incendii nominetur) quantumvis occultus sit (si nimirum præ odio ignem apposuerit, vel auxilium scienter contulerit) à nullo alio quam à Papa aut eiusdem delegato absolui

absolui potest, de quolibet incendio siue Ecclesiæ siue Villæ, segetum &c. à viro, aut foemina excitato.

IX. Sacrilegi, effringentes Ecclesias.

Cap. Conquesti 22. cit. lib. & tit. de sententia Excommu: Et videtur hæc lata sententia & post ordinarii denuntiationem Papæ reseruata si utraq; nimirum actio fiat, id est, effractio & spoliatio Ecclesiæ, & materia ablata constituat quantitatem notabilem in Sacrilegio, sic qualibet rapina, furtum graue sub spoliatione comprehenditur: per effractionem qualibet violenta apertio Ecclesiæ, siue confractis seris, muris, siue tecto fiat. Inde qui frangit arcam, in qua res Ecclesiæ reconduntur, aut calicem, vestes sacras discindit ad furtum occultandam, non incidit, quod arca nec sit Ecclesia, nec

D 5

eiusdem